

## PARAENESIS, AD EUMDEM PONT. CRESCENTIUM MARCONAM.

- T1A v.1 Delicias juvenum ! Studiosos, Pontice, formae, et  
 2 smegmatis Adriaci, speculique, ac dentis eburni,  
 3 Parnassi sacrum conscendere velle cacumen !  
 4 Mox in Aristippi cryptam, ac praecepta relabi,  
 5 Zenonisque Scholam magna, et praeclara monentis.  
 6 Sint procul a nobis culti muliebriter ora.  
 7 Forma Sophos neglecta decet, neglecta poetas.
- T1B v.1 Vultus speluncis similes, latebrisque ferarum ;  
 2 certe diversos communi a plebe requiro.  
 3 Evolve Annales, Romanos consule Fastos  
 4 consulibus scriptos, et Achaica secula : paucos  
 5 invenies extra, simul intus et in cute pulcros.  
 6 Non habitare solent magna ingenia in formosis  
 7 aedibus, atque hederam picto figentibus ori.  
 8 Merx, quae vendibilis, signo non indiget herbae.  
 9 Exemplo tibi sit naturae factus ad unguem  
 10 Diogenes Cynicus. Quidnam sapientius illo  
 11 Terra Pelasga tulit, bimarisque incincta Corinthus ?  
 12 Atqui paedorem canis, illuviemque professus,  
 13 nullis imperiis, nullique obnoxius Aulae,  
 14 terruit ipsosmet terrentes ; armaque inermis  
 15 stravit, et evertit, vili male tectus abolla.  
 16 Per plateas gradiens, veluti latrator Anubis,  
 17 publica mordaci laceravit crimina rictu.  
 18 Aspice projecto recubantem in stramine, sodes,  
 19 Magnum habitatorem testae brevis, et gyrandae,  
 20 quo sors cumque velit. Solio non sedit in alto  
 21 celsius Arsacides Cyrus, nec purpura Croesi ;  
 22 nec post devictum Macedo Babylonius Orbem.  
 23 Ejus palliolum, pertusamque undique laenam ;  
 24 et peram, et baculum ; medioque die laternam  
 25 inquirentem homines, cultrumque, scyphumque, manumque  
 26 cochlear, oblatae Persarum praefero gazae.  
 27 Ejus doliolum non aequent omnia Bacchi  
 28 dolia, quae quondam domitis avexerat Indis.  
 29 Quo tamen in Latia nullus fuit Urbe triumphus  
 30 nobilior. Sexcenta rubro spumantia vino  
 31 plaustra trahebantur : tigridesque ex ordine junctae  
 32 ducebant praedam ingentem ; tum Maenades ante  
 33 Silenum. Et Satyri pulsantes tympana circum.  
 34 Ipse Evan silvas frenatis lyncibus intrans  
 35 inflavit buccas, et thyrsum sustulit alte.
- T2 v.1 Jamne vides igitur, quid Stoicus horror in ore  
 2 possit, et extantes vivo de subere rugae.  
 3 Spectandae facies, sicut simulacra deorum,  
 4 quas in adoranda rubigine secula passas

5 obsita pulveribus, secretae noctis in antro  
 6 suspicit, informes statuas, impensius hospes  
 7 cernuus : atque ipso tremit a squallore columnae  
 8 jam fractae, ceraque colit referente juvencum,  
 9 aut speciem vaccae, aut Pelusiaci crocodili :  
 10 donaque suspendit tacitum testantia numen.  
 11 Est, ubi relligio spelaeis nixa sub atris,  
 12 ad temere structam, vilemque intenditur aram.  
 13 Saepe minus colitur conflatus Juppiter auro,  
 14 quam rudis, et simplex, et ligneus, et male cultro  
 15 formatus Lycidae, quem vult donare Menalcae.  
 16 Nunc adeo tetricum caperata fronte, putremque,  
 17 pone senem ; cujus facies videatur aratro  
 18 proscissa, inque cavas jam velle dehiscere valles ;  
 19 in laceris oculi tunicis, stellaeque cruenta  
 20 in sanie lugubre natens : sint torrida labra,  
 21 quanta nec Aethiopsis nigri matertera tendit.  
 22 His et monstrificum, [strumam] sensum adice sextum,  
 23 quod membrum reliquis praefert celeberrima vallis :  
 24 a pota quae crescit aqua, turgetque crumena  
 25 gutturis adnata ; qualis dependet avari  
 26 Mentoris ex pingui zona justissimus unus  
 27 qui fuit in terris, et servantissimus aequi.  
 28 Euclio vix major Dresdae reperitur, et Ulmae.  
 29 Adice et haerentis dorso fastigia gibbi.  
 30 Talem Diva Themis, talem Sapiencia multis  
 31 praetulerit sponsum, propiora in jura receptum.  
 32 Aesopo clivus surrexerat, atque Bianti ;  
 33 quanta mole parem, vastoque umbone tumentem  
 34 vix Arabum strigosus habet de stirpe camelus.  
 35 Numne ideo non magnanimi, summique fuerunt  
 36 clamorosos inter proceres, barbasque Lycaeii ?  
 37 Commoditas etiam ista fuit ; quod ad omnia semper  
 38 praelia, si nervo torta argumenta volarent,  
 39 esset ut in promptu paribus succursus ab armis ;  
 40 quisque suam tergo portarit bibliothecam ;  
 41 ut Parthi celeres armamentaria secum,  
 42 Coryton, refugumque arcum, celeresque sagittas.  
 43 Stet licet incurvus, et sidera fulciat Atlas  
 44 [axem qui torquet stellis ardentibus aptum]  
 45 Aesopi tergum portaret dignius astra.

T3 v.1 Nil igitur foedum, nisi, quod virtutibus obstat,  
 2 nil pulchrum, nisi quod vitio adversatur, honestum.  
 3 Prodigio par est Sophiae armillatus amator,  
 4 et tener, et bellus, cincinnatusque, spadonis  
 5 ingressus formam ; quid enim nisi pejor imago  
 6 restat et enervi sit inertior Hermaphrodito.  
 7 Malis Thersites posse intorquere dilemma,  
 8 et vix solvendum Oedipodi proponere nodum ;  
 9 quam speciosus Hylas, vel Protesilaus haberi  
 10 mollis et indoctus, neque bella ad seria natus.  
 11 Hic erat Hectorea dignus fataliter hasta  
 12 scilicet occidi ! Quanto meliore lacerto  
 13 Hyppolyte strinxit. Tanain egressa, securim !  
 14 Chrysippi argutum passim laudatur acumen ;  
 15 quod tamen a naso, si vera est fama, pependit,  
 16 et stillante quidem. Stilus hic projecerat umbram

- 17           ingentem, dicto festivo caussa futurus.  
18           Usque adeo et naevi prosunt sapientibus ipsi.
- T4        v.1        Progredere, et vigilem jam nunc expende Cleanthem :  
          2        ex puteo noctu deduxit aquaticus urnas,  
          3        pro minimo fontis nauulo servire paratus.  
          4        Tu in pluma stertes, et versicoloribus alis !  
          5        Carneadem luscum, claustroque expende sepulcri  
          6        Pittacon egressum : namque illic fata solebat  
          7        discutere, et vivus media cum morte pacisci.  
          8        Democritus quamvis totus fuit ore cachinnus ;  
          9        parte tamen summa speciem ringentis habebat.  
          10        Quem Pandionii latet inclyta fama Solonis ?  
          11        Thebani quem scita senis, tabulaeque Ceбетis ?  
          12        Traditur ad visum deformis uterque fuisse.  
          13        Alter dextrum oculum, laevum destruxerat alter.  
          14        Contemplator item squallentia Socratis ossa,  
          15        nectare qui potuit diram mutare cicutam ;  
          16        exilium et sordes, et probrum detrahare ipsis  
          17        carceribus. Templum fuerat, quo lictor abegit.  
          18        Atqui hic se croceo perfundi rore putabat,  
          19        cum scaphii nimbos bene loto vertice sensit ;  
          20        Xantippeque super portas, illa inclyta Juno,  
          21        tempestate potens rapida de nube tonaret  
          22        valvarum. Fractas quondam dejecit et istas  
          23        in caput, et querno lustravit fulmine calvum.  
          24        Hoc firmat vires : hoc dignum numine pectus  
          25        praebet, et arcanis animum caelestibus infert.
- T5        v.1        Da nunc Pythagoram frugali ventre beatum ;  
          2        nullum animal primis contingere dentibus ausum.  
          3        At, quia lente, faba, pisis tantummodo pastus,  
          4        dignum, qui Piso, qui Lentulus, unus et idem  
          5        Cum Fabio dicatur homo, triplexque senator  
          6        Urbis, Roma, tuae. Sed dic ; ex pultibus istis  
          7        aut voluisse putas, Samium aut potuisse magistrum  
          8        formosum fieri ? Sese statuebat eremum  
          9        efficere ; et cuneis horrentem scindere vultum.  
          10        Inque genas, scrobibus factis, inducere fossas.  
          11        Vix scires : facies, an abyssus decolor esset.  
          12        Tantis distabat spaciis a corpore crasso.  
          13        Addita perlucens macies, et cornea fibra,  
          14        attritaeque diu radians truculentia formae.  
          15        Ne tamen ignores : hic est ex omnibus ille,  
          16        qui stans in terra, caelum, convexaque Mundi  
          17        mente, deosque adiit : vomuitque ad sidera caepas.  
          18        Ergo age, si perdix, gallinaque nigra feratur,  
          19        aut alba, in patina : (nigram prius ordine vita)  
          20        cum volucres alius, pernasque invaserit, et quae  
          21        proxima ; contemptor potiorem in lance polentam  
          22        aggrediare manu. Sacer est cibus iste Sophorum ;  
          23        Pythagorasque facit, vel saltem Pythagoraeos.  
          24        Foetent, et ducunt foetorem talia, dices,  
          25        fercula. Pone metus, indignas mitte querelas.  
          26        Hic odor est proprius doctorum, altasque cathedras  
          27        pressantum, ac tripodes, famosorumque virorum.  
          28        Sic fragrat nutrita suo Sapiencia succo.  
          29        Hic foetor casiam, mihi crede, et cinnama vincit.

30 Diogenes certe nullum spiravit amomum.  
 31 Quid potius ? Cerebrum, an nasus ? Sapere, an bene olere ?  
 32 Liberum, olere bene, est : sapere, ac sapuisse, necesse est.  
 33 Abrotonum numquid condita melle placenta  
 34 sanius Hippocrates sancit ? Tamen illud amarum est.  
 35 Quondam nec glandes veriti ructare palato,  
 36 aurea fecerunt tam vili secula victu.  
 37 Tu quod alit famam, stulto aspernabere fastu ?  
 38 Aut dubitabis adhuc instratis messe Sabaea

T6 v.1 Ecquid Anaxagoram memorem primordia rerum  
 2 aere miscentem confuso, et magnum Anacharsin,  
 3 captum utroque genu. Ter centum vendita nummis  
 4 lampas Epicteti, quanquam in lodice matellam  
 5 purgantis, servatur adhuc ; oleumque ministrat  
 6 lucenti famae ; quae sic ardebit in aevum,  
 7 ut nisi cum lapsis non exstinguenda sit astris.  
 8 Stilponem spernes lippum, similemque molosso ?  
 9 An Speusippus erit propter sua sputa pudori,  
 10 opprobriove tibi ? Tamen alta in Cecropis urbe  
 11 ejus honorata est docta, et celeberrima tussis.  
 12 Publica (quis credat ? ) merces admensa catarrho est.  
 13 Non Heracliti flentis deterreat imber  
 14 continuus : si me doceat plorare, paratum  
 15 virtutis momenta sequi, vel lictor. Et infra  
 16 sordidior lixam. Si rectum monstret, adoro.  
 17 Tales producit sessores porticus alta  
 18 tres cubitos, sex lata pedes, oblonga trecentos.  
 19 Quanquam autem obstipos angusto limite sepsit  
 20 parva domus ; tamen et gelidum Praeneste Neronis,  
 21 et Tibur, Memphisque ipsam transcendit honore ;  
 22 hic homines fiunt, hinc sacra oracula manant.  
 23 Appellent alii mandram, stabulumque caninum ;  
 24 at tu delubrum venerabile dixeris esse.  
 25 Quale nec in Libya possedit corniger Hammon ;  
 26 huic mandrae Senecam debes, pro, quanta sonantem  
 27 ausculta : excusso si forte rubore salubri  
 28 Stoica perfrictam pingant conchylia frontem.  
 29 Vera quidem loquitur, sed non et grata prementi  
 30 vellus Amyclaeum, spondae vel in otia merso.

T7 v.1 Lucili, vivamus, ait ; vivamus, amice.  
 2 Esse scias multos, non vivere. Fata fuisse  
 3 non vixisse docent functos, an dixero fungos ;  
 4 queis per socordem, trepidantia gaudia, luxum  
 5 effluxere dies. Cur vivat Apicius, inter  
 6 ebria continuus lurco convivia, nescit ;  
 7 saepe, quod esuriat, servo veniente, monendus.  
 8 Hora quidem cenae : sed nondum viscera totum  
 9 digessere bovem ; atque hesterna tomacula restant.  
 10 Inquinat horum aliquis sacrum Solis jubar. Ut quid  
 11 editus in lucem est ! Immensa negotia venter  
 12 unicus indicit, spoliatque elementa colonis,  
 13 civibus, indigenis ; vastamque immittit in alvum.  
 14 Cum modicum Natura petat, quam multa paramus  
 15 obicere invitae ! Mihi pransuro neque turdus,  
 16 nec pygargus adest : Senecam tamen expleo totum.  
 17 Proposui placare famem, stomachique tumultum.

18 Non mulcere gulam Lucili ; cena vocetur  
 19 et tibi lauta, satis. Ponantur oluscula pauca :  
 20 cum diis, lance pari, vives. Non discute quadram,  
 21 quid ferat ; Odrysii jecur anseris, anne legumen ;  
 22 Gobius, an rhombus nigra portetur in olla.  
 23 Sufficiant quaevis obsonia. Villicus Afer,  
 24 an, quae poma dedit, parvo Geta legerit horto,  
 25 Hesperides donasse putes. Non vult sitis ungi,  
 26 exstingui cupit. Hoc praestant non caecuba tantum,  
 27 Setinaeque uvae : sed quilibet irriguus fons  
 28 egelidi nemoris ; scatebraeque mamilla benignae ;  
 29 de convalle fluens : cujus mons esse maritus  
 30 possit, et uberibus rivis nutrire jacentem.  
 31 O quoties clamo : malesanis parcite votis ;  
 32 saepe exauditi divis, plectentibus illa.  
 33 Hostis non major noster, quam nostra cupido est.  
 34 Sanguis, opes, aetas, tituli, facundia, vires,  
 35 munera Naturae, sortisque, aequalia non sunt.  
 36 Quod beat, aequale est, et prorsus in omnibus unum,  
 37 virtus, ac ratio. Quibus haec concessa, parum sunt ;  
 38 plus quam avidos totus nunquam satiaverit Hermus.  
 39 Influet in fauces Ganges, siccisque relinquet.  
 40 Summa voluptatem, reor, est sprevisse voluptas,  
 41 et curare bonum, quod non terit ulla vetustas.  
 42 Convolet ad mappas, festa et circensia vulgus :  
 43 monstrentur ludi, gladiatorumque catervae ;  
 44 quadrupesque ferae bipedum certamina pascant.  
 45 Prodeat in scenam Pentheus ; cantetur Agave.  
 46 Ipse mihi solus magnum satis amphitheatrum,  
 47 Pompeianus ero, vel, si volo, Caesarianus ;  
 48 optio in arbitrio est. Caesar, Pompeius egebant :  
 49 nunquam ego. Projeci pridem miserabile votum.  
 50 Nimirum sibi quisque suus, comoedia vitae  
 51 cum datur, esse potest certus spectator, et actor.  
 52 Quam vis personam ? Rex, vel dictator in agro,  
 53 praetorque, et consul, sine fascibus, atque securi ;  
 54 plus aliquid dicam : Romanis moenibus absens,  
 55 et Deus esse potes ; (Deus est, ubicumque vagaris)  
 56 aut miser esse potes. Sunt mitia numina Divum.  
 57 Admittunt socios nullo livore notandos.  
 58 Non vicos, non praedia habes, non horrea, non rus ;  
 59 nec superum rector. Cupias Jove ditior esse !  
 60 Sed nectar potat. Dicatur fabula dulcis.  
 61 Ipse sua ambrosia est. Sapiens sibi quisque potest, quod  
 62 Juppiter esse sibi. Viles vilissima fingunt.  
 63 Vitam, Lucili, aelago ducamus ab alto  
 64 in portum ; moresque tenax in littore fundet  
 65 anchora compositos ; animum pax alta tenebit,  
 66 si placidus nullo curarum fluctuet aestu.  
 67 Cum pectus fastu ventosa superbia pulsat,  
 68 irati surgunt Austri ; furit ardor habendi,  
 69 tempestas metuenda subit. Sed collige vela.  
 70 Notitiaque tui praeter vada caeca vehendus,  
 71 vitatis brevibus, tibi prima, et proxima rade.  
 72 Nemo fere non est suus idololatra. Quis non  
 73 adsentatorem, mimumque agit, et parasitum  
 74 nocte, dieque suum ? Quotus audet dicere verum  
 75 ipse sibi, et speculo convicia reddere viso,

76 ante reum, et testem ? Cum sese absolvere iudex  
77 nec velit, aut possit. Contra nebulonis imago  
78 stat, starique jubet. Non est operosior ullus,  
79 quam peccare, labor. Virtutis castra secutus,  
80 otia agit. Jucunda quies, delinquere nolle.  
81 Quid tali Fortuna potest irata minari ?  
82 Ignem, et aquam ? Vindex contempsit Mucius ignem :  
83 tranavit Tybrim superato gurgite Cocles.  
84 Fumantis barathri tenebras, calidumque profundum,  
85 Curtius hoc equitans, tellure hiscente, subivit.  
86 Carnifices clavos ? Dabitur non Regulus unus.  
87 Exsilium ? Patriam mecum, fidosque Penates  
88 portabo. Mundi sum civis. Mundus ubique est.  
89 Stem quocumque loco ; supra me sidera volvi,  
90 imparibus gyris, eadem aut majora videbo.  
91 Invidiam ? Dulce est, hoc exspectare superbi  
92 tormenti genus. Infelix, cui nullus in aula  
93 invidet. Ille caret poena formidine grata.  
94 Est aliquid, quod et ipse tibi, mea Caecula, donem.  
95 Hanc habe, et ostensam digitalem corripe ficum,  
96 sic se Democritus fuit olim fortiter ultus,  
97 fortunae monstrans insertum pollicis unguem,  
98 compressa serpente manu ; fecitque volumen,  
99 quale facit serpens in se, et sua membra plicatus.  
100 Adicio laqueum, quo fias altera Arachne.  
101 Huic monstro nunquam, Lucili, cedere oportet.  
102 Nec blandum admitto ; blandusque irrideo saevum.  
103 Nulla bonum laedunt contagia ; nec miseret me  
104 magnanimi, fortisque viri tolerantis iniqua.  
105 Esse nequit, quamvis possit miser esse videri.  
106 Femina mutatur, vulgusque ignobile : plebis  
107 scita tamen Sapiens et jure instructus, et usu  
108 abrogat, et sancit toto contraria caelo.  
109 Divitiae in censum veniunt stipis, et paupertas  
110 regni nomen habet. Fallax honor, umbra vocatur.  
111 Mollior affrictus, laudes ; et fama sinistra,  
112 durior ad laevam percussae sibilus aurae.  
113 Sed neque supremum formides mortis agonem.  
114 Qui doleat fatum, quo fatum spiritus efflat !  
115 Sentirine putas, quod sensum funditus aufert !  
116 Excruciare necem, per quam cruciatus in aegro  
117 finitur ! Mors est tamen ultima linea rerum :  
118 linea, qua ducta, quivis censetur Apelles  
119 absolvisse diem. Nil vitae debet, et arti  
120 amplius umbrarum votis respondet imago,  
121 umbrarum similis. Quid restat ? Nunquam ego flevi,  
122 quod non semper eram. Plorem pueriliter ergo,  
123 quod non semper ero ! Semper jactabor in alto !  
124 Ad me si trepidet Mors invitata venire,  
125 improvisus ego veniam. Menelaus, an Ajax ?  
126 Brutus, an Augustus ? Possunt praevertere fortes  
127 tardipedem. Ne se credat fera Larva timeri.  
128 Usque adeone mors miserum est ? Sola Ardea dicat,  
129 quique in ea natus ferrum Phrygis ore momordit.  
130 Ne Cato serviret, rapuit mortem sibi liber.  
131 Non est turpe, mori rapto ; sed, vivere rapto.  
132 Utere vita data est ; cum restituenda, vocanti  
133 redde ; nec exspecta restim a lictore citandus.

- 134 Excubiis fessus pacata cubilia quaerit,  
 135 ut carpat placida compostus nocte quietem.  
 136 Nil aliud posco. Vitae satur hujus, et aevi  
 137 membra fatigatus sub cespite gestio dudum  
 138 sternere. Laxatos dormitans ponit amictus  
 139 ante torum. Laceros ego corporis insuper artus  
 140 exuere opto mei terrestri crassa grabato  
 141 tardant fatalem membrorum pondera somnum.  
 142 Miles humi jaceat, mediis cataphractus in armis,  
 143 quippe ligatus adhuc castrensi jure, sui que  
 144 vi sacramenti. Bellorum lege soluto  
 145 (bella voco vitae curas, discrimina, pastum)  
 146 discingi liceat ; nudusque intrare paratum  
 147 Manibus exemptis lectum, ac libare Soporem.  
 148 Haec mihi debetur merces statione peracta.  
 149 Si vixi, quis me fraudabit jure sepulcri ?  
 150 Otia pugnator posito vetus ense meretur.
- T8 v.1 Hactenus ex latrante Stoa : quam plurimus olim  
 2 impulit Annaeus, vir prisci moris, ut aevi.  
 3 Talia Vinesilas capiet ! Cui barbula mollis  
 4 inserpit, timido, ne gratia defluat, ori,  
 5 si dulces malas major corrumperet umbra.  
 6 Talia Mesiphaon notus sybarita loquetur  
 7 mollior Aurora rorante, vel Iridis ore.  
 8 Suetus ad argentum formam componere vivum,  
 9 cunctaque demirans, quibus est mirabilis ipse.  
 10 Oblitus unguentis, calamistro fictus ad ignem,  
 11 crinibus in nodum tortis, in cornua flexis,  
 12 Maecenas vigilans, sopitus Sardanapalus.  
 13 Non bene conveniunt sententia fortis, et aures  
 14 gemmiferae, nimiumque levi pugnancia vitae  
 15 magni verba senis. Contemnit molle Tarentum  
 16 vitibus in mediis, quod sobria Corduba dicit.  
 17 At tu, crescenti si vis assurgere digno  
 18 conatu, fierique capax ; fuge pectinis usum  
 19 getuli, ac dentes, quos proiciunt elephantii.  
 20 Turbatis assuesce pilis horrescere, Marsi  
 21 instar apri. Neque te pudeat rostro esse timendum.  
 22 Hic terror decet in sella majore sedentem.  
 23 Non mihi displiceant vultus, quos mente feraci  
 24 Callotus genitos vivacia fudit in aera ;  
 25 omnigeni, varii, referentes mille figuras.  
 26 Ex quo, mireris, puteo tot, et aequore formas  
 27 Hic Lotharingorum caelo delapsus, et alter  
 28 Phantasus, ac mirus Morpheus, alterque Phobetor  
 29 hauserit ; aut quali piscatus traxerit urna.
- T9 v.1 Sit quasi de caelo tibi lapsa haec regula : quanto  
 2 nativa a gleba mentem, limoque tenaci  
 3 altius extuleris, contemptor corporis hujus ;  
 4 tanto major eris, Mundique capacior hospes.  
 5 Alliciunt Musas frontes in nubila ductae,  
 6 et camurae, dignaeque viris quaerentibus hostem.  
 7 Dum caveas illud, ne circulus aureus insit  
 8 naribus : has poterit, per me licet, Olpa sagaces  
 9 tendere vel sursum, vel versus labra deorsum.  
 10 Posse dari doctos non credam rhinocerotes !

- 11 Ipse Plato latos humeros compactus habebat.  
 12 Divino cupias tu pulchrior esse Platone !  
 13 Quadratum caput esse potest ; tamen ore rotundo  
 14 dicere, quod Graiae, et Latiae mirentur Athenae.  
 15 Turpe sophus, stupor ipse suus, mentumque remulcens,  
 16 effictum veluti Pario de marmore signum ;  
 17 oscula Pygmalion prono cui debeat ore ;  
 18 ipse sui stultus simulacri sponsus, et auctor.  
 19 Turpe sophus stringens modulato compita passu,  
 20 ceu Phrygia mores Corybantum imitatus in Ida.  
 21 Vile, pati cultros Phrygios, mediamque per urbem  
 22 molliter eunuchi niveis incedere plantis,  
 23 nec sine odoriferis visendus dactylothecis.
- T10 v.1 Credis ? Aristotelem, quoties animalia docte  
 2 partitus, solerte manu exploravit amussim  
 3 Naturae ; membrorum habiles motusque, situsque,  
 4 inter equos, cervos, pantheras, atque leones,  
 5 in medio tanquam lanium spectare macello  
 6 praecinctum licuit, serra, atque securibus usum.  
 7 Sordidus effusi rorabat sanguinis imbri.  
 8 Quas non ille feras saeptis inclusit, ut exta  
 9 monstraret, sciretque tomos, artusque resectos !  
 10 Magno operae pretio. Quotus illum aequabit aruspex ?  
 11 Argumentum ingens, magni miracula Mundi  
 12 sector hic ostendit, constantia mille talentis.
- T11 v.1 Observa et medicos certum est praestare decoro  
 2 distortum, vitiumque immanius oris habentem.  
 3 Tu ne contemnas Bitiam, quod stillet ocellus,  
 4 ridentem ad lectum, sicut Proserpina rapta.  
 5 Optimus ex medicis aegro convicia jactat.  
 6 Neu spernas Marulum, quod nata cucurbita partem  
 7 extendat capitis ; neu lippum Bassarotrompam.  
 8 Hic Gallis, Belgisque satus movet omnia fundo.  
 9 Crine ruber niger ore, brevis pede, lumine laesus,  
 10 quisquis hic est, meus est. Huic me, meaque omnia credo.  
 11 Hos ego praetulerim, quos experientia clarat  
 12 fortibus exemplis, quamvis per singula torvos.  
 13 Dummodo felices Parcarum fila retardent,  
 14 ac, si quae invitae detrectant jussa medentis ;  
 15 ex manibus raptare colum quoque fortiter ausint,  
 16 prostratasque solo validis pulsare lacertis.  
 17 Donec promittant resecandae parcere vitae.  
 18 Hos ego praetulerim. Vivat Marosandola, vivat.  
 19 Lanificas regit ille deas, verbisque, minisque,  
 20 quondam et verberibus : si jussa capessere segnes  
 21 nequitia [dolus, an virtus ! ] mandata morentur.  
 22 Ille trucem Lachesin nuper plorare coegit  
 23 multiplicans impune manus ; quum stamina vitae  
 24 nostra minaretur violenta abrumpere dextra.  
 25 Cessa, ait ; et colapho medicinae jura peregit.  
 26 Convalui extemplo. Vivat Marosandola, vivat !  
 27 utcumque horribili vincat squallore Charontem.
- T12 v.1 Quem dabis astrologum, cujus non vultus abundet,  
 2 si non deficiat ? Placet immanissimus horum,  
 3 et rigide absurdus cui nempe occurrere nolis



4 per mediam noctem sphaerae instrumenta ferenti.  
 5 Clarior est tristem diffundens ore cometen ;  
 6 qualis erat caelo sub stante Copernicus olim ;  
 7 (Terra movebatur. Torvo hoc innotuit uni.)  
 8 Stabat et ipse tuens Solis non mobile corpus.  
 9 Vultus erat ; qualem timuissent sidera visa,  
 10 si spectare trucem potuissent. Solus Orion  
 11 dicitur armatus non hunc timuisse Polonum.  
 12 Ergo degenerat, cui nulla eclipsis in ore est.  
 13 Pulchra mathematici facies est nobile monstrum.

T13 v.1 Scilicet antiquis majori ex parte relictis,  
 2 ad Superis charos homines, et sanctius aevum,  
 3 vel propiora voles me tempora flectere cursum.  
 4 Nulla mora est. Paucos tamen omni ex agmine sistam.  
 5 Praetereo vivos, et adhuc communibus auris  
 6 vescentes. Tumbam Bedae Venerabilis intro.  
 7 Ut jacet, ante stetit, caelesti horrore verendus.  
 8 Petri Lombardi tumulum Sorbona coronet ;  
 9 namque alia haut facies tumuli fuit, ac tumulati.  
 10 Ad Scotum propero. Color olli, vel cineri par,  
 11 vel tunicae agresti, crassaque ex cannabe textae.  
 12 Entheus, exesus tamen, et scaber, et macilentus  
 13 prae cunctis retulit tituli "Subtilis" honorem ;  
 14 nullius invidiae stimulis penetrabile nomen,  
 15 cuncta licet penetrans, et mentis acumine figens.  
 16 O si Durandos nunc, Capreolosque videres,  
 17 et veterem Occamum, spirans putria navis  
 18 frustra ; quasi ex arca cani direpta Noachi !  
 19 Hi sunt, post quos non alias sapientia quaerat  
 20 naufragii tabulas, firmissima fulcra sophorum.  
 21 Nonne recordaris Lucae Melitonis, et Hispae ?  
 22 In cinerem quorum facies subsidere visa est ;  
 23 hostili busto, captaeque simillima Trojae.  
 24 Rudera dixisses restare novissima vultus  
 25 humani. Atqui hi sunt, qui complent laudibus Orbem.  
 26 Quotquot Complutum, quotquot Salamantica claros  
 27 extulit alma viros, magnaue Conimbrica famae ;  
 28 turbavere comas, et despexere figuram.  
 29 Ex vultu nosses animas sua membra perosas,  
 30 atque aspernantes, crudae virtutis amore.  
 31 Haut aliud Mendoza, aliud Soaresia dicet  
 32 Gloria, et adversis pugnans Vasquezus armis :  
 33 introrsumque genas ostendens Lessius actas.  
 34 Ultimus in morbis etiam, cumuloque dolorum  
 35 ferreus extiterit, dubites, an aheneus, anne  
 36 marmoreus ! Gemitum stridenti in vulnere pressit.  
 37 Quin hilaris potuit vitiati corporis ulcus,  
 38 atque venenatas prurigine radere crustas !  
 39 Insuper ardenti renum oppugnatus arena  
 40 ferre cruentantes lapidum intra viscera morsus !  
 41 Tam cupide haec inter Musis operatus amicis ;  
 42 quam noster Dorylus pernas venatur, Iaccho  
 43 dona Mosellano tua, Westphale, jungere doctus ;  
 44 quamque Taradarus salpas in lacte natantes,  
 45 ovaque cum pullis, et fraga recentia sorbet.

T14 v.1 Summa : sophum callosa juvant, asperrima durant,

- 2 efficiuntque virum, dignum Lacedaemone civem,  
3 poscitur in primis patientia rebus in arctis,  
4 frigoris, atque aestus. Positus quocumque sub axe  
5 Thulenque, et Meroen ferat, et contemnere discat.  
6 Parcior, et duro porrectus in assere somnus,  
7 (ni malit stipulis, aut pelle Libystidis ursae)  
8 quando fames urget, pultes, coliphia, crambe ;  
9 quando sitis, pallens Cerealis spuma Falerni,  
10 nodoso cohibenda vitro, tractimque bibenda.  
11 Aut ex relliquiis Poenorum posca, nivasas  
12 perruptura Alpes, barrisque obstantia saxa.  
13 Mens extra Mundi zonas, Cancrumque, Caprumque,  
14 in proprios collecta sinus, in seque reducta,  
15 tanquam in Maeandrum, vel Cretensem Labyrinthum :  
16 Theseus unde Theses miras cum Minotauro  
17 prodeat ostentans, septemplicibusque chymaeris  
18 Orbem insignitum, caelatumque anguibus aureis.
- T15 v.1 Talibus expensis, Marcona, ferociter insta,  
2 ut meritam possis lauro decerpere baccam,  
3 donec in hirsutum, formidandumque magistrum  
4 transeat haec species ; toto jam bardocucullo,  
5 atque supercilio majore, et epomide dignum.  
6 Cui liceat tonitru quamvis implere proseucham :  
7 perque Stagiraeos, Academica lustra recessus  
8 Naturae secreta loqui, doctequae boare.
- T16 v.1 Transeo in Aoniam, et sancti penetrabilia montis,  
2 major ubi viridis, ramosaque copia Lauri,  
3 Crinibus effusis, mutata ex virgine crescit.  
4 Fonsque sacer volvit bullas, et inaestuatur unda.  
5 Laeta loci facies ; sed non adeunda paventi  
6 ardua, et innexos spinis, curisque labores.  
7 Sic primum statuas : si te fore, Pontice, vatem  
8 majorem credis, quia sis formosior, erras.  
9 Exterior nil forma juvat, si turpis es intus,  
10 aut brutis, stupidisque, atque oblimatus, et exspes.  
11 Sicut nec pravum corpus circumdata vestis  
12 Attalica emendat ; nec curvum fascia collum.  
13 Ede : quis Elei genium, viresque caballi  
14 aestimat ex cristis, phalerisque sonantibus auro ?  
15 Quis pictam navim, vel carbasa serica mali ?  
16 Aut gladium propter vaginam adamante rigentem.  
17 Corpus iners, animi recte vagina vocatur,  
18 ensis hic iste potest Pallanti dicere solus :  
19 aspice, quam mage sit nostrum penetrabile telum.  
20 Theca suum gemmata nequit lucente smaragdo  
21 tutari dominum. Sita vis in acinace tota.  
22 Quin nec Amurathes, aciem, ferrumque timebat,  
23 Scanderberge, tuum ; si non manus afforet, imos  
24 in Thracum jugulos plagam ductura profundam.  
25 Num melius testudo sonat cupressina buxo ?  
26 Aut ductis ebeneo clavis, et iaspide fulgens ?  
27 Par cerae, Tyrio quam Lydia tinxerit ostro,  
28 pulcrior audierit, non doctior ille poeta.  
29 Lacteus, idcirco non est Lactantius ore,  
30 eloquioque fluens, sed lacteus ; et nihil ultra.  
31 Lumina ego mirer, tenuis quae palpebra velat !

- 32 Glorier a visu, fuerit cum caecus Homerus !  
 33 Cujus vel tenebrae plus conspexere sagaces,  
 34 quam Phaethon totus patrios conjectus in ignes.  
 35 Intus mente mica, formosamque instrue flammam ;  
 36 illic omnigenos animae dispone colores  
 37 e quibus ingenii vernans splendescat imago.  
 38 Interior largo saliat tibi vena meatu.  
 39 Sis animo pulcher. Nihil uncta siligine prodest,  
 40 Malobathroque cutis : nil gemmea sidera frontis,  
 41 Puniceae aut malae, ceu Punica mala, rubentes.
- T17 v.1 Paucis multa loquar, torvum volo, Pontice, vatem,  
 2 torvum concipio, torvus fuit Ennius olim ;  
 3 unus cunctanti Fabio qui restituit rem.  
 4 Torva Attellani Labeonis ; torva Lucreti  
 5 effigies, herbas vultu, referentis amaras ;  
 6 quasque Paraetoniis radices repperit arvis.  
 7 Torvus Caecilius, torvus Maro, ruris habens plus,  
 8 quam nitidae Romae ; gnarusque satos colere agros,  
 9 non fuco vultum ; pigmentaque condere falsa.  
 10 Torvus erat, cujus ductu Iocasta marito  
 11 obvia, et in medios fratrum ventura furores,  
 12 egreditur portis. Velut antiquissima mater  
 13 Eumenidum, magna cum majestate malorum.  
 14 Torvus, qui soceri, generique infanda canebat  
 15 bella per Aemathios plus quam civilia campos.  
 16 Torvus et ille fuit Peligni solis alumnus,  
 17 qui tamen infelix torvas vetat esse puellas.  
 18 Atque utinam semper tristis, torvusque fuisset  
 19 et sapiens Naso, potius quam blandus amator.  
 20 Torvus erat, cecinit qui frontis torva voluptas  
 21 de Stilicone suo ; quoque indignante, dolosus  
 22 semivir, Eutropius consul, trabeata per Urbem  
 23 ostentatur anus, titulumque effeminat anni.  
 24 Quid Juvenalis ? Io novies ter torvus, et asper.  
 25 Horridus Eurystheus, ut nubifer Apenninus,  
 26 et vigil enormes rhonchos proflare solebat.  
 27 Lurida spirabant per totum absinthia vultum.
- T18 v.1 Pierides Musas facie florere venusta,  
 2 purpureisque genis, inter figmenta repone.  
 3 Pictorum hic olim mos est, et iniqua potestas,  
 4 ut, quas indocti nunquam videre puellas,  
 5 exornent minio, faciantque nitescere cultu,  
 6 imbelles veluti pupas, et eburnea monstra ;  
 7 quorum omnis sit vita chelys, choreaeque, chorique :  
 8 et crinalis acus, stacteque, et pyxis, et uber,  
 9 dulce quidem cantant, sed non ut lena Canopi.  
 10 Non, ut Sirenes quas vix effugit Ulysses.  
 11 An non et Sappho cecinit ? Cecinisse fatendum est.  
 12 Illa tamen multum fuerat diversa Lacaenae,  
 13 quae bis digna rapi, Ladaeo prodiit ovo.  
 14 Non minus in numerum Musarum Lesbias ista  
 15 posterior nona, prior undecima, licet atra,  
 16 valga, pusilla, myops, meruit facunda referri.
- T19 v.1 Quotquot Mnemosyne peperit Jove conjuge natas,  
 2 spectatum admissi quondam lustravimus omnes,

3 sortiti fortunam oculis. In colle sedebant  
4 herboso, numeroque novem, totidemque Camoenis  
5 instructae, liceat mihi visa, et vera referre,  
6 nulla micat timidum, fractumque, aut molle renidet.  
7 Crudus in ore decor, neglectu gratior ipso.  
8 In speciem Dryadum vergens, silvescere visus.  
9 Armatur terrore pudor ; sexuque severo  
10 ambiguas miscet facies. Flagrantia vibrant  
11 lumina. Stant temere crinalia vertice sarta.  
12 Nec stola, nec manicae, nec inundans fascia limbi  
13 arguerint similes Nymphis, quas anxia centum  
14 torquet imaginibus quaerendi cura decoris.  
15 Ne longo sermone morer : do nomina Divum.  
16 Mascula Calliope bellatur Amazonis instar ;  
17 laeta audire tubas, fuscari et pulvere campi.  
18 Nobilis ingreditur Clio, nec honoribus impar,  
19 alterno signat glomerata volumina passu.  
20 Claudicat Euterpe ; tantoque frequentius apta  
21 exhilarare jocis, risum movet omnibus ; unde  
22 delectantis habet nomen. Polyhymnia prona  
23 ad rixam, vocale melos miscere tumultu  
24 gaudet, et arios lituis confundere fluctus.  
25 Dat belli signum nonnunquam ; quale dat, altae  
26 Cum Norimbergae Laurenti Turnus ab arce  
27 extulit, et rauco strepuerunt cantica cornu.  
28 Melpomene. Tragicis it formidanda cothurnis ;  
29 haut illi thymus, et panace, cerussaue cordi ;  
30 Penthesilea furens nativo vivere succo  
31 assuevit, propriisque bonis ; non mercibus emptis.  
32 Terpsichoren praeter saltus, vocemque canoram  
33 vix aliae dotes commendant. Quarta Thaleia  
34 indolis est mirae. Grato squallore superbit  
35 Virgo ferox, animosque mares sub pectore gestat.  
36 Haec fovet incomptos : macris arridet, et ambit  
37 Frontones. Contra, pingue aversatur omasum :  
38 praepingues fungos, et obesa abdomina damnat :  
39 semivirosque Phryges, comptosque, viriliter odit.  
40 Me quoque adhuc mallet gracilem mage, splendidiusque  
41 extritum, ac tenuem protendere longius umbram.  
42 Cum tamen excelsa capitis procul aegide visi  
43 sic quoque terga fugae cogam dare pumiliones.  
44 Aurorae flentis crocea de nube caducos :  
45 atque sui cubiti nimis, et nimis assis amantes.  
46 Nil roseum, nil lacteolum ferrugine tincta  
47 ore refert Erato, violisque nigerrima pallet.  
48 Ignescit quandoque, et tanquam lampade flagrat.  
49 Namque adamante suo castos explorat amores.  
50 Haec igni, ferroque probat terraque, marique  
51 Seston, et o patriam Leandri audacis Abydon.  
52 Uranie monstrat caelum, et caelestia signa :  
53 haec inter tamen et serpentem, et Scorpion arcu  
54 brachia curvantem, stellamque Lycaone nixam :  
55 Parrhasiasque Ursas, insopitumque Draconem,  
56 atque oculum Tauri, sidusque immane jubatum,  
57 quaeque referre mora est, justum incussura timorem,  
58 magnae mentis opus rapidum super aethera ferri.  
59 Hoc vetus, et sanctum : non est via mollis ad astra.  
60 Non recipit molles Divum Rex non catamitos,

- 61 non ad vibrati crispos cauteria ferri,  
62 horrendo rari visu, dignique videri  
63 virtutis studio. Torvi luctantur in axem.
- T20 v.1 Palladis armisonae qualis praesentia ! Grandes  
2 caesia per glaucosque oculorum prospicit orbes.  
3 Caesariem ferratus apex, cristaeque comantes  
4 terribili fulgore premunt. Sublimis in hastam  
5 surgit, ut et scutum commotis sibilet hydris.  
6 Quis tuto aspexit clypeo Phorcinida fixam,  
7 saxificos angues ! Atqui formosus Apollo est,  
8 blandus, et auricomus. Sed non, cum Pythia cantat,  
9 aeraeque horrendo mugit cortina recessu,  
10 aut quoties late Euboico bacchatus in antro,  
11 ex adytis responsa tonat. Tonat insuper Echo.  
12 Erigitur, meminitque sui ; crinesque relictas  
13 fronte rigent. Simul ara tremit, simul ardua laurus ;  
14 culminaue, et quassae titubant fundamina rupis.  
15 Tunc nemo hunc juvenem simas pavisse capellas  
16 Admeti Regis, jumentaue bucera credat.
- T21 v.1 Cumanae, vident ut distorqueat ora Sibyllae !  
2 Vix affata Phryges communi more ; repente  
3 concutitur. Deus, ecce, Deus ! Cui talia fanti  
4 ante fores, subito non vultus, non color unus,  
5 non comptae mansere comae. Miseranda, minaxque  
6 Virgo reluctatur. Tanto magis ille fatigat  
7 os rabidum, fera corda domans, fingitque premo.  
8 Insidet, et stimulos sub pectore vertit anhelos,  
9 confunditque genas. Jures occidere velle.  
10 Sic rapit attonitam, nulloque, omnique colore  
11 diversam, lassique mora pulmonis hiantem.  
12 Chrysogoni nequeunt tantam perferre Dei vim.
- T22 v.1 Non est lanificum sudor, sublime poema,  
2 plebeiusve labor ; neque vatium vitta, caprina  
3 textur e lana. Saturis bombycibus illam  
4 non nisi divinae manus admiranda Minervae  
5 conficit, et totam filis subtilibus explet.  
6 Quis metuet Satyram culti, atque nitentis Ofelli ?  
7 Utitur astragalus, teneroque est mollior haedo.  
8 Quam dabit in medium Schockus, cui polypus ingens  
9 auctus vi Lunae, nasum facit esse trabalem ;  
10 lectorem doctum poscens, armatur echino ;  
11 incipietque metum, serraue secabit acuta.  
12 Est aliud, valido Satyram distringere nisu,  
13 quam Cajo, et Cosso scabiosum epigramma dicare ;  
14 in quo nil praeter tria cur, totidem quia cernas :  
15 sex ideo, septem quocirca, quatuor i nunc.  
16 I nunc, et pomis imple, nucibusque quasillum.  
17 I nunc, et caligas scrutare Herodis edaces.  
18 I nunc, et cocco vestitum confer asellum.  
19 I nunc, et teneram Cythereae occide columbam,  
20 ut delectat eum pygmaei argutia versus !  
21 Inque fimo male scintillans scarabaeus equino !  
22 Sed pueri tales gemmas mirantur, et aurum.  
23 Ut perstringit eum stillae glacialis acumen,  
24 et tropus in febris quartanae frigora versus !

- 25        Quanquam omni in folio fugitivi frater Iuli  
26        ambulat, et gremio Phoenissae illudit amantis,  
27        Vulcanum, matremque ferens. Rotat arma Cupido  
28        pictus acu rallam fluitantem, et textile velum,  
29        alipedesque alii suspensi terga pharetris.  
30        Multa Venus. Nullae veneres, et gratia nulla.  
31        Sed nondum tempus Thymelen damnare Britannam.  
32        Adveniet tandem laesi vindicta pudoris,  
33        hastaque iudicii Cambro figetur Oveno.  
34        Quid ? Culpo ingenium ? Minime ! Detestor abusum.  
35        Mitior incedat positis nunc Musa sagittis.
- T23      v.1        Tecum sermo mihi, non cum petulantibus Anglis,  
          2        Pontice, Teutonico cui ductus ab ubere sanguis ;  
          3        nomina per Tuscos Italum fluxere canales.  
          4        Vatem, non vatis lege vultum, oculosque micantes.  
          5        His excellit Halys longe pulcherrimus : omnis  
          6        naevus abest, naevique metus. Tum sanguine largo  
          7        luxuriant artus, manifestaue corpore toto  
          8        laetitia arridet. Facies spectacula praebet :  
          9        tam bona, tam saturo fulget tumefacta rubore.  
          10        Ogygias talem speres exscindere Thebas  
          11        posse solo totas, ductosque Amphione muros.  
          12        Surrexisse novus videatur Stadius, Argis  
          13        par et Echioniis tubicen cantandus in armis.  
          14        Cantandus ! Votis nequidquam fabula vanis  
          15        respondet. Retro refer in caput Isara lymphas.  
          16        Deceptos promissa tenent. Nihil iste nec ausus,  
          17        nec potuit. Quid enim prosit Boeotius aer ?  
          18        Sed multos perflat tractus Boeotius aer.  
          19        At Capys exesus, qui jam vix ossibus haeret,  
          20        et pulmonis opem non plenis follibus haurit,  
          21        difficilesque auras tractu lucratur ab imo ;  
          22        intonat, et geminae quatiens fastigia rupis,  
          23        Parnassum fumare facit. Caligine nubes  
          24        volvitur, et toto resonant certamina monte.  
          25        Unda fremit ; stagnum spumis exsultat equinum.  
          26        Tunc Capys exesus, qui jam vix ossibus haeret,  
          27        Ignipotens, offert vena non paupere fusum ;  
          28        sed prae divitiis animi saliente, suisque  
          29        instructum valide nervis, alteque torosum  
          30        carmen, et Herculea dignum cervice reponi.
- T24      v.1        Quaesitum est ; vates natura crearet, an usu  
          2        exculti fierent. Conjungas rectius, artis  
          3        expers ingenium stolide bacchabitur. Artem  
          4        ingenii expertem, pertusam dixeris urnam.  
          5        Ut derivarunt in cribrum Belides undas.  
          6        Illi deest stimulus sacer, ac vis ignea mentis,  
          7        qua sine conantem frustra labor improbus urget,  
          8        Sisyphiusque lapis. Nimia ambitione coacta,  
          9        aut expressa, velut pressatur oliva trapetis ;  
          10        oderunt omnes. Dii detestantur, et horrent,  
          11        si parcis limae ; damnabere nare supina.  
          12        Usque adeo, ut vena, et solers chirurgus amice  
          13        conjurant ; ita sedulitas, ac vena poetae.  
          14        Nil possit Bavio Tigurino vilis esse.  
          15        Nitenti similis cervae, sua viscera torquet,

- 16 et variat vultu Janos (?), dum carmina pangit.  
 17 Cum Phoebi cursu non verum absolverit unum,  
 18 putidior Maracon. Duo millia stans pede in uno  
 19 porricit : a vomitu velut intestina laborent,  
 20 nec modus, aut finis. Quasi ningat in aere floccis,  
 21 sic volitant ; ut jure queas facere hos quoque flocci.  
 22 Ergo et in hoc puncto medium tenere beati.  
 23 Qui laurum mordere cupit, praemordeat ungues ;  
 24 qui caput incingi serpto, scabat. Ut niteat frons  
 25 emaculata ; genas candentes diluat ostrum,  
 26 ordine stent crines, ut credas legibus actum ;  
 27 qualibus usa fuit Respublica Spartanorum :  
 28 Quis curet ? Melior, quem vestit succida lana ;  
 29 cujus inornatae ventis afflata flagellans  
 30 tempora capronae, setaeve ex verre marino.
- T25 v.1 Cum clypeum Aeneae, fulgentiaque insuper arma  
 2 duceret electro liquido, solidoque orichalco  
 3 Virgilius, cerebrique sui fabricaret in antro,  
 4 rere comas violis vinctum, Tyriove rubentem  
 5 murice ; ceu Matris, noster Vitus, unica proles ;  
 6 ante relucentis crystalli panda stetisse  
 7 Ostia, et errantes castigavisse capillos ?  
 8 Ille, velut Cyclops opera ad fabrilia surgens,  
 9 corpore quam nequii, vel noluit, (ad quid enim mons  
 10 sulphuris igne tonans ! ) Animo penetravit in Aetnam.  
 11 Tunc vatis caput, Aetna fuit, Liparaea taberna.  
 12 Ingenio duxit folles ; stridentia tinxit  
 13 aera lacu. Fluit as rivis, aurique metallum.  
 14 Ictibus ingenii gemuit resonabilis incus.  
 15 Ingenio tandem vires augente poleibat  
 16 terribilem cristis galeam, flammisque vomentem,  
 17 hastamque, et clipei non enarrabile textum.  
 18 Idem opere exacto fessus consedit in Urbe,  
 19 ex Sicula fornace redux ; ac si ipse fuisset  
 20 Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon,  
 21 exercens ferrum, et multa vi brachia tollens  
 22 in numerum, versansque tenaci forcipe ferrum.  
 23 Tunc primum ad fratres, Aetnaeque pocula ventum est,  
 24 Gallumque, Variumque, et de grege Curepi porcum :  
 25 (mirandum est Flacco tantum indulsisse Thaleiam ;  
 26 unus tres poterat ventres aequare Cyclopum.)  
 27 Olli inter sese libabant munera Bacchi.  
 28 Et merito. Quis enim siccus pro carmine sudet ?  
 29 Malleus interea cum forcipe, (cera, stilusque)  
 30 emeriti fabri tota illa nocte quierunt.  
 31 Mox aurora tamen miseris mortalibus almam  
 32 extulerat lucem, referens opera, atque labores.  
 33 Evandrum atque una lux suscitavit alma Maronem,  
 34 et matutini volucrum sub culmine cantus.
- T26 v.1 Aspice Frigattum contra. Nam Mantua et istum,  
 2 sed pulchrum genuisse datur, nimiisque superbum  
 3 Naturae, formaeque bonis, ad Teutona casus  
 4 detulit. Ostentans se vatem. Sardonychata  
 5 scribere metra manu, et scriptis dare basia fertur ;  
 6 jamque opus immenso dignum meditarier aevo.  
 7 Aspice consurgens. Praegnantem credere possis ;

- 8 et jam pica hominem variari, et poscere cretam,  
 9 Ilias inclusa est, an Thebais ? An generosam  
 10 ventre saburrato vates Aeneida portat ?  
 11 Pythonemne novum de semine sacro Epidauri ?  
 12 Solve uterum. Profer tandem, quodcumque minaris.  
 13 Alma fave Lucina, fave pia Ilithyia.  
 14 Horrendum visu ! Geminas Heliconia rupes  
 15 scinditur in partes, scopuloque laborat utroque.  
 16 Parturiunt montes. Partim exspectemus amici,  
 17 dignum Atlante suo. Quid denique nascitur ? Exit  
 18 de rima cerebri, vertex ubi summus anhelat,  
 19 post timidos nixus exit passerculus unus,  
 20 (et sunt, qui jurent unâ vidisse palumbes  
 21 egressas, tanto caput hoc discessit hiatu.  
 22 Ex avibus totum liceat dignoscere nidum.)  
 23 Dilectus Cypridi, jucundi pluma Catulli ;  
 24 et tibi, si qua super, lacrimis deflenda caducis  
 25 Lesbia : jam Bavaræ potius deflenda Teresæ.  
 26 Nil aliud ? Nil hercle aliud. Verona, triumphæ,  
 27 si potes. Ecce novus passer te vincere gestit.  
 28 Ultra Thessaliam fugere hinc libet, atque bimembres  
 29 Thessaliæ : Daphne meretrix si facta, pudendo  
 30 nupsit Frigatto, crinemque amplexa coronat.  
 31 Ille tamen fruitur lauro gavisus, et optat  
 32 Lucinam similem, laudatque in conjugæ dotem.  
 33 Atqui ego te, dulcis Corydon, post orgia malim  
 34 rustica, inauditum stipula disperdere carmen.
- T27 v.1 Audi aliud. Neque enim procul hinc semotus abibo,  
 2 haut multum ascalapho volucris distabat Ilerdas,  
 3 Helvetia in media, summisque in rupibus ortus.  
 4 Castricus ut pavo distendens sidera caudæ  
 5 lactavit speciem, crines deductus amomo.  
 6 Tempore Gustavi Sueci Afra Lycatibus arvis  
 7 patriciæ matrona stolæ, felicibus astris  
 8 Augustæ ediderat. Nec erat formosior ullus  
 9 hoc puero pavone. Oculos dignissimus Argi  
 10 centum ferre unus poterant duo vincere centum.  
 11 Dignior idem inter stellas pincerna locari,  
 12 ac, pulso Ganymede, Jovi diffundere nectar.  
 13 Creverat in Clarii submissus præsidis arcem :  
 14 jussus uterque sibi, patriæ Musisque vacare,  
 15 exitus acta probat. Specie bubonis, Ilerdas,  
 16 aspectuque suos visus terrere sodales  
 17 doctior evasit ; cantuque haut simplice pictam  
 18 Junonis superavit avem ; cessitque poeta  
 19 Syrmate depresso longe post terga relictus.  
 20 Marsya certando fieret, cum noctua Delli  
 21 in libertatem qui publica traxerat arma,  
 22 provocet aedilem Thebanum, atque Orpheæ Thracem.
- T28 v.1 Audi aliud. Redolens octo Cilices, minimum sex,  
 2 spirat Sosa crocram, pretiosoque ulcere rupto  
 3 expressam saniem, et peregrinæ felis odorem.  
 4 Sed mures opicos foetentia carmina produunt.  
 5 Hirtacus axillis subter gravolentibus hircum  
 6 (eminus advertas etiam) gestare videtur.  
 7 Cum soccos purgat, tunc non tolerabilis ulli.



8 Non pigra Maeotis, Camarinaeque, et ima profundi  
 9 taetrius exhalant ejectamenta Pelori.  
 10 Non ideo ipsius non fragrat odora poesis.  
 11 Vernat enim, spiratque rosas, sudataque tura.  
 12 Haut aliter, quam si variorum ex agmine florum,  
 13 laxent Elysii pubentia germina campi.  
 14 Naribus hanc Erato saepe admovet ; ictaque Clio  
 15 versibus Hussardi. Nam quae patientia duret ?  
 16 Aut recitatorem possit tolerare molestum ?  
 17 Felices procul absentes, sordique beati.  
 18 Saevior est picis clamantibus, atque cicadis ;  
 19 intolerabilior ranis aestate Suevis.  
 20 Quid nocet Ambrosio Mucconi absentia formae ?  
 21 Turbidus incedit ringentis more molossi.  
 22 Quamquam os, et mores ululant ; tamen Ecloga balat  
 23 deducens pastoris oves. Illa Ecloga balat,  
 24 quae placuit cantata duci ; retulitque disertas  
 25 conjugis Austriacae laudes, inscripta Amaryllis.  
 26 Altera nec primae cedit, cui nomen Alexis,  
 27 quin et ubique placet ; serieque illustris in omni  
 28 obscurat fuscus nitidos, torvusque venustos.  
 29 Tympana pulsa sonant heroica ; dulce queruntur  
 30 insomnes elegi : jucunda Phaleusia rident.  
 31 Ausus idem Basilus, frustra sudavit et alsit  
 32 ausus idem possis misereri, et dicere, cessa,  
 33 alterius tantum novitas, et lucidus ordo,  
 34 et mens inventrix rerum, juncturaque pollet.  
 35 Nuper in Aonia, Phoebos praesente, palaestra  
 36 eminus alternis certatum, et cominus armis ;  
 37 spectati pugiles aderant, et tempora vincti.  
 38 Primas Mucco tulit ; socii meruere secundas.  
 39 Olli caesariem subiit circumflua laurus.  
 40 Si verum excutio, facile est componere versus :  
 41 difficile est libros aequali volvere rhombo,  
 42 quales Pansa dedit. Dum Pansam nomino, nolim  
 43 subicias animo Narcissum, vel Cyparissum ;  
 44 quorum alter seipsum, cervum nimis alter amavit.  
 45 Pansa vir est, ac pene sui quoque nobilis osor.  
 46 Centauro similis, metuas, ne saxa loquatur  
 47 ex Aetni decisa jugis. Nil durius illo.  
 48 O quantum a vultu divertit Musa canentis ?  
 49 Fundere mella putes ; florentem spargere thymbram.  
 50 Candor inaequales numeros, et Gratia triplex  
 51 halantes animant. Liquido volvuntur in auro,  
 52 Heliadumque madent guttis lucentibus igni.  
 53 Formosus Tryphon ut semet in omnia vertat  
 54 praesidia, et formas, faciemque ungatque, lavetque ?  
 55 Atque relambentis sua vellera more sciuri,  
 56 qua licet assiduus, novies, deciesve repectat :  
 57 nescit, et hoc solum scit, se nescire fatentem.

T29 v.1 Fingimus haec ? Pharael etiamnum vivit, et extat  
 2 qui quamquam nullo perimet se fonte videndum ;  
 3 (quem neque pastores, neque pastae in monte capellae  
 4 contigerant, aliudve pecus ; quem nulla volucris,  
 5 nec fera turbarit, nec lapsus ab arbore ramus)  
 6 est tamen et lato sua vis, et honor suus ori.  
 7 Omnibus in silvis, quas explicat, agmine facto

8 nidificat Philomela canens, secumque Sorores  
 9 adducit, Getici jam dudum oblita tyranni.  
 10 Taedet unim semper raptum deflere pudorem ;  
 11 Tereaque aeternis dirum incusare querelis.  
 12 Narrat Caeciliae pugnas. Ut barbara foedum  
 13 aversata Patrem, cervice exceperit ensem !  
 14 Ut gladios, ignesque proci contempserit Agnes !  
 15 Thecla feras animosa boves et Lucia flammās.  
 16 Ursula ferratos telorum evicerit imbres.  
 17 Tum Glaphyras, Agathasque refert. Ante omnia caelum.  
 18 Ingeminat, partusque tuos Nasareia Virgo.  
 19 Te quoque Alexandri, Costo sata, regis in urbe  
 20 eximium, Catharina, decus ; super ardua montis  
 21 culmina, qua coelum tangit Sinaitica rupes,  
 22 aligerum martyr portata curulibus ulnis.  
 23 Huc properare rotis stridentibus, Orcale, cessa,  
 24 belle puer : nullis illuc hinnitibus itur.  
 25 Frustra urges oleo, vino, sale psaustra gravata ;  
 26 Automedon non si vel Achillis lora teneres,  
 27 Orcale, parce manu : veniet robustior aetas ;  
 28 et tunc Ortygiam, portusque intrare licebit.  
 29 Interea crudis te fingendum, atque domandum  
 30 trade rudimentis scuticaque assuesce ferire  
 31 jumentum proprius ; meliorque auriga futurus  
 32 in tua membra ferox contortis irrue nodis.  
 33 Nec cessa, donec sanguis generosus adhaesit.  
 34 Haec via te ducet, quo frustra tendere vanus  
 35 clamor adegisset ; tunc illam denique rupem  
 36 vertice (plus ultra) tanges. Sic itur ad astra.  
 37 Huc ducit tranquilla quies, missisque quadrigis  
 38 sella tripes ; quam si retines, portabere pennis.

T30 v.1 Molliter ingreditur Glycus, et crepidatus, et ornas  
 2 usque suos vultus ; seque urit, et uritur idem ;  
 3 formosasque sitit laudes, atque annuit illis ;  
 4 et faciem, et crispas speculo vibrante reflexos  
 5 exhibet ipse sibi, magnusque videtur Apollo.  
 6 Sella tori speciem praebet, totoque cubili  
 7 plus quam mundicies simplex apparet. Ubique  
 8 concentus, cultri, calamorum, forficis, horam  
 9 signantis stillae : nec acus, nec acicula aberrat.  
 10 Praeterea non est atomorum atrocior hostis.  
 11 Pulvere mensa vacat. Si quis deprenditur, exsul  
 12 continuo in Pontum, ad libros de Tristibus ire  
 13 mittitur, Euxinam Boreas ut difflet in auram ;  
 14 accedunt nitidae vestes ; tum grata loquentis  
 15 simplicitas, permista favo ridentis amoeni  
 16 et concinnorum suavis symphonia morum.  
 17 Et facies dulci pietatis ab iride rorans.  
 18 Non haec idcirco videas urgere poesin :  
 19 non meliorem animum, majoraque numina praestant  
 20 tamquam extra sphaeram longe semota rotandam.  
 21 Diversi sunt jura fori ruit, ecce, ruendo  
 22 Entheus in calamum, ductusque ferocibus urget  
 23 articulis. Paeon furit intus, et incubat olli.  
 24 Magnum opus explendum ! Clausis meditatur ocellis.  
 25 Incipit, et dubitat, scribit mutatque probatque ;  
 26 ancipitem versat pennam ; stringitque premitque,

27 submovet, et reddit. Pax, an fera bella ( minaeque  
 28 murorum ingentes, aequataque machina caelo ? )  
 29 Quid velit, ignorat. Plus ignorare videtur,  
 30 quam velit, aut possit, quia parva scientia, velle.  
 31 Nosse aveo finem. Jam sextus ab aequore Titan  
 32 evolvit currus, iterumque per aethera duxit  
 33 quid Glycus interea ? Descripsit, nempe ! Quadrigam  
 34 Myrmecidis tectam muscae memorabilis ala  
 35 disticha quina putat posse expugnare Tibullum.  
 36 Haeret amans, operisque sui vestigia lambit,  
 37 basiaque affigit. Tanta est dulcedo placendi.  
 38 Fitque procus muscae. Quid si foret illa columba  
 39 Architae, aut qualem deflevit Stella togatus !  
 40 At mihi non tanti haec, sublato ut pollice clamem :  
 41 Eia, euge, belle, melius nil vidimus unquam,  
 42 quid magni exspectem crispas ab habente perunctos ?  
 43 Quique meras tenero lacrymatur lumine gemmas !

T31 v.1 Malo ego crudeles socios, visuque tremendos,  
 2 quales Hupfiades Gluckersius, et Didymaon  
 3 Westphalus, et Clivensis Hegar, lippusque Rabastus,  
 4 et luscus Gauron, capitoque Telesphorus Haza ;  
 5 sic equidem capito, pars ut sit maxima, collum  
 6 quae premit, atque humeros ; nec differat a bove multum.  
 7 Hirti, ac praeduri fratres, capita alta ferentes,  
 8 fratres Aetnaei, qui vix se in littore spectent ;  
 9 ne dum convexos vitri comantur ad orbem,  
 10 non nisi multifido Polyphemi pectere rastro  
 11 crinales sueti laqueos. Speculi vice, pronos  
 12 Pegaseo se in fonte vident, moresque videntum  
 13 discutunt. Sit fas Narcissum imitari isthic.  
 14 Horum introgressus tecta, haut innixa columnis  
 15 Maurorum, aut Nomadum (nugas humilis domus istas  
 16 non capit) indigetum eximias mirabere sordes.  
 17 Splendida paupertas : modici tinctura liquoris ;  
 18 sepia in alveolo nans, et Ioliginis atrae  
 19 qualiscumque humor, cum capsula non sine. Charta  
 20 privigna, atque rudes phylirae ; duo, vel calami tres,  
 21 ejusdem crenae ; sunt curta, et tota supellex.  
 22 Ex tribus his unus plumae plus retinet albae,  
 23 absque ullo fastu ; signumque refertur ad usum.  
 24 Associatur hebes, minimumque novacula scindens.  
 25 Aude hospes contemnere opes, et te quoque dignum  
 26 finge Deos animis patientibus. Oro, poetis  
 27 ignovisse velis. Luxum, et confinia temnunt.  
 28 Secum habitant, ubicumque habitant, gurgustia, fana,  
 29 aulas, an caulas ; in summa Tiburis arce,  
 30 valle vel Egeriae, Cumana an rupe, perinde est.  
 31 Da veniam, si quid tibi displicet aedibus illis.  
 32 Non aliter vivunt subducti pectora mundo,  
 33 ut quorum solis commercia cum superis sint.  
 34 Ne culpes, nihil esse loco, nihil ordine postum,  
 35 compostumque suo crepidae, mantilia, socci ;  
 36 agmina librorum sparsa, ac velut hoste recepta  
 37 jam primum ex Sueco : Cicero, Maro ; sacra, profana  
 38 Dismas, et Gesmas ; Theodoro et Scodrus eodem  
 39 scamno juncta jacent, hinc pileus, urceus illinc,  
 40 quandoque et fornax. Si sella, aut mensa vacillat,

- 41 supponunt testam ; clivusque aufertur acernus.  
 42 Ima pavimenti, tabulati summa videbis  
 43 posse Syracosii griphis senis, atque figuris  
 44 inscribi, quales monstravit Apella Monarchae  
 45 Chaldaeo. Serpens reptaret pulvere in isto,  
 46 spirasque occuleret, nova colligeretque venena.  
 47 Quam dispar Glycus et Nasamon ! Occasus, et ortus  
 48 pollubrum frustra quaeris, mala somnia passus  
 49 flumine purgatur vivo : Rhenoque, vel Istro  
 50 abluitur, si causa tamen patet ulla lavandi.  
 51 Nam raro, aut nunquam sibi sordidus esse videtur.  
 52 Nec, si sit, penset, Cynici memor usque decori.  
 53 Pexus, an impexus, mediam procedat in urbem,  
 54 tantumdem est. Neque si Nisi coma detur, honoret  
 55 talia non curant. Quorum omnis cura deorum est.
- T32 v.1 Sskepsius Hirniades, prorsus mirabile sumen,  
 2 si fragilis casu confringitur hydria, torto  
 3 fune ligat frustra, et figulum deludit hiantem.  
 4 Spectando formam, magna cum mole ruenti,  
 5 ac bene contuso saltanti concolor urso est.  
 6 Spectando dotes, ipsis, sine Apolline, Delphis  
 7 praesideat, vastoque oracula fundat hiatu.  
 8 Omnes hi, quotquot merita cum laude citavi.  
 9 Non raptum ex trivio, praetextatumque poema,  
 10 de Veneris concha, fractoque Cupidinis arcu ;  
 11 sed castum, succique boni, dignumque sonante  
 12 proelia Papinio, magnisque Maronibus edunt.
- T33 v.1 Marcus Abantiades strumosus et Ascario, vena  
 2 gutturis incisa generosi palmitis ictu,  
 3 purpureos fundunt versus, mustoque madentes.  
 4 Quis Deus ostendit potioem Aganippide fontem,  
 5 vatibus hanc strumam, atque artis compendia tantae ?  
 6 Ergo poetarum subjecta faucibus unctis  
 7 humor, io dulcis fluit ex Permesside bulga !  
 8 Felix, o nimium felix, qui se ebrius ipso,  
 9 eructare potest vere spumantia dici  
 10 carmina. Nil usquam est, quod non queat utile reddi,  
 11 felices ambo. Vatum, nisi fallimur, horum,  
 12 jam jam nulla mora est, plures quoque castra sequentur  
 13 ecquis enim totus cupiat non musteus esse ?  
 14 Et talem venam cum fenore habere secundam ?
- T34 v.1 Quos tamen inter erit nunquam Brandisius Azor,  
 2 delicias juvenis ! Sibi Virginis aequora chartae  
 3 deesse gemens queritur. Membranis vilibus horret  
 4 conceptus mandare suos. Cupit edere foetus  
 5 in nido, qualem pullis vix construit ipsa  
 6 Alcyone dilecta suis ; vel clarior ales,  
 7 quo moritur busto Phoenix rediturus eodem.  
 8 Membranam Nymphae ! Quasi non sit idonea quaevis  
 9 desumpta ex nili ripa stagnante papyrus !  
 10 Arbores veteres sua commisere tabellis.  
 11 Inde liber cortex, durans per secula nomen.  
 12 Azor erit melior priscis ! Stirpisne pudebit,  
 13 ex qua scinduntur tenues scriptoris in usum  
 14 bracteolae. Quid vis ? Oritur de caudice Codex,

15 quem Domini juris volvunt utriusque periti,  
 16 evolvunt nunquam. Brandisius aspiciat vix  
 17 ex omni ligno non quivis Mercurius sit.  
 18 Ex isto possit fieri dulcissimus Hermes  
 19 ac, bene si truncum novi, ficulneus Hermes.  
 20 Alloquor hunc, quicumque latet sub nomine tali.  
 21 Hem ! fruere, ut nactus virgo tibi charta petenti  
 22 carminibus vitianda tuis nitidissima detur,  
 23 quali forte usa est Pulcheria Byzantina ;  
 24 cum fratrem admonuit, ne crederet omnia servis.  
 25 Aut quali utuntur, quibus est in amore libido.  
 26 Duc apices ; imple spatium certantibus album  
 27 literulis ; auri radios asperge liquentis ;  
 28 adline rubricam ; variis distingue corymbis.  
 29 Undantes oras Catanensi pumice rade,  
 30 haut tamen effugies scombras, piperisque cucullum ;  
 31 ad flavescentes portaberis emptus Apellas.  
 32 Quare, o Brandisi noster, dulcissime rerum,  
 33 si quid habes cedro dignum, hoc in pelle asinina,  
 34 inque tua, flagris prius a cerdone subacta,  
 35 (sis cerdo tuus ipse, et fortibus utere loris)  
 36 scribere ne dubites. Nobis auctoribus aude.  
 37 Tunc, et jure suo talis super astra volabit  
 38 codex, seu caudex. Audis ? Jam Pegasus hinnit,  
 39 et fratri Arcadico justa plus parte recedet.

T35 v.1 Ecce novum crimen, non simplex, Caesar Iuli,  
 2 dignum, quod Romam ferat ad sublime tribunal  
 3 Tullius, et verbis caussam ampullantibus aequet.  
 4 Nempe ? Galas Sthenelus cygnorum non nisi pennis  
 5 scribere vult. Mediam medici pertundite, tanti  
 6 hoc instrumentum est, quo famam extendere possis ?  
 7 Si desit calamus, scribatur arundine longa.  
 8 Ille meus tribulis etiam Juvenalis, et hastis  
 9 fertur pampineis, furcisque nigrantibus usus.  
 10 Unius excusso cornu, aut titione culinae,  
 11 liventi cerae multos impressit iambos,  
 12 desine mirari, cur tot carbone notarit.  
 13 Nos non respuimus corvos, ubi cessat olorum  
 14 obsequium ; neque jam superest nisi Baucidis anser.  
 15 Illi parcatur, nam Jupiter ipse pepercit.  
 16 Ut nihil exeret curvum, sua pingere velle ;  
 17 cura supervacua est : pravus, rectusne character ;  
 18 ordine, an obliquum sulcis ducatur ineptis.  
 19 Fusilis idcirco plumbi novitate reperta  
 20 quam dixere typum (tibi se, Germania, debet)  
 21 scriptio corrigitur, praeloque admota nitescit.  
 22 Additur et pondus pretiosum, visque morandi,  
 23 ne permissa volent rapidis ludibria ventis.  
 24 Plantinus retinet, retinet Moretus, apud quos  
 25 perpetuum haec durant celebris retinacula famae.  
 26 Amstela, Lugdunum, Batavo, Galloque sub axe  
 27 adjuvat, et Romanus apex, atque Adria Marci,  
 28 liligerumque frequens completa Lutetia campum  
 29 et nullis unquam succincta Colonia mendis.  
 30 Plus ultra non ire datur. Stat terminus aevi.  
 31 Vatibus, ut nautis, has Gades gloria fixit.  
 32 O curvas animas, et vel terrestrium inanes !

33 Si magno sumptu tristes angamur, ut Alpha,  
 34 et Beta, et Gamma, et Delta expingatur in albo.  
 35 Si possit bene Kappa legi ; frons jam, puto, salva est.

T36 v.1 Festino ad metam ; circoque educo jugales  
 2 defessi cum solis equis. Procedit olympto  
 3 Vesper, et in noctem venturos instruit ignes.  
 4 Ad te sermo redit, crescenti, cujus et orsa  
 5 auspiciis progressa foras. Sententia nostrae  
 6 mentis, credo, patet. Sic est. Caput imperat orbi  
 7 non pes. Aiebat, podagra luctante Severus ;  
 8 quo minus exiret, lecti detentus in umbra.  
 9 Sic animus, pariter dicam, sophus atque poeta est,  
 10 non vultus, litem quovis sub iudice solvas  
 11 jam facilem dubitare nefas ; impensior utri  
 12 cura, modus, sumptus sint debita. Si puer intus  
 13 appares, extraque senex, mordebere dictis,  
 14 ordine converso mire laudandus. Adultae  
 15 scilicet aetati, centum ningentibus annis,  
 16 praefertur longe placidus vigor, ac juvenilis  
 17 canicies animi. Modo sit sapientia cana ;  
 18 quali caesaries sit subterfusa colore,  
 19 Romae Popilius Numa non referre putavit.  
 20 Non quia crinitus, cithara crinitus Iopas.  
 21 Sed quia facundus, Didonis personat aures.  
 22 Non melior vates, qui mollior ; aut quia pulcher,  
 23 cultior eloquio. Distant haec aera lupatis.  
 24 Pontice, suadentem sequere, audacterque venustae  
 25 detrunca partem formae, tenerasque sorores,  
 26 ac matrem toto radicitus erue vultu.  
 27 Auruncum mento suffigi fortiter opta.  
 28 Opta verrucas plures succrescere quinis.  
 29 Quas gemmas natura dedit, monstremus inemptas,  
 30 nam naevus quandoque decet ; vitiumque superbit  
 31 militis in facie : laudi est numerosa cicatrix.  
 32 O de Palladiis si stent tibi fronte cerastis,  
 33 saltem aliquot summo nutantes vertice cristae,  
 34 quantus habebere ! Si dens quoque longior unus  
 35 promineat, signum est genuinum agitare potentis ;  
 36 quem si non metuit derisor Zoilus, actum est.  
 37 I licet. Invidiam nescis, odiumque mereri.  
 38 Collige sarcinulas ! ingrata desere Cyrrham !  
 39 Versibus auditis nullus dirumpitur Idmon.  
 40 Dimidios fructus studiorum, ac gaudia perdis.  
 41 Heu miser ! urge aliquid, doleat quo saucius, ictu.  
 42 Tamquam tormentis et flavae bilis, et atrae,  
 43 tamque atrae, quam trux fuit Atreus ipse Mycenis.  
 44 Non potes hoc ? Actum est : proscindis vomere litus,  
 45 fluctibus aequores Cerealia semina mandas.  
 46 Iudice me, satius fuerit conducere furnos,  
 47 venari vespas, culices mactare palustres ;  
 48 et vel Teutonicos pretio purgare caminos.  
 49 Sed genii concepta tui me major alit spes.  
 50 Esto : sint mores non tota cote politi ;  
 51 declinas tamen in torvum. Lanugo ferocis  
 52 pullulat indicii ; fruticatque emblema pilosum.  
 53 Pectinis ignoras radios, nisi pectine tantum  
 54 quo nosti pulsare chelyn ; nos ludimus ipsi,

- 55 censoris vitrei ad valvas consistere taedet ;  
 56 intuitumque tuae subsultu pascere larvae.  
 57 Aversaris acus Phrygias, et cinnama, et ungues  
 58 impletos costo. Quoties conviva vocaris,  
 59 in primis esum leporis sapienter abhorres.  
 60 Formam augens eadem pulpa ingenii minuit vim.  
 61 Quin et docta placent vigilatae somnia noctis.  
 62 Talis in Empusae cavea, aut praesepibus altis,  
 63 Martis ubi Thrax nutrit equos, antroque Trophoni,  
 64 divinos ducet versus, scopulosque sequaces,  
 65 auritasque trahet silvas. Quocumque profectus  
 66 fixerit exiguam sedem ; comitabitur illum,  
 67 trans Thulen, citharis resonans, Heliconius aer.
- T37 v.1 Accipe dictorum summam ; memorique reconde  
 2 ultima verba sinu. Si stent sine lege capilli,  
 3 utque jubae volitent ; multumque leonis in ore  
 4 rugiat ; et facies meditantis proelia tauri  
 5 misceat humanam ; totaque ferocia fronte  
 6 fulguret exsultans : ea demum est vera venustas,  
 7 optandusque decor, consummatusque poetae.  
 8 Ille mihi ante alios, qui vix a Gorgone Maura  
 9 distat, ut in saxum possit convertere Momum.
- T38 v.1 Haec ad Danubium : quo tempore Pockius annos  
 2 absolvit vitae, frater notissimus arci,  
 3 quam juga sustentant. Veteri nova more vocatur.  
 4 Illa Palatino paret frenata Philippo ;  
 5 carmen ut exactum fuit ; ad patefacta fenestrae  
 6 forte tuens steteram, Fluvium speculatus euntem.  
 7 Ecce tibi ; fundo canum caput extulit Ister,  
 8 non procul aggeribus, quos intra currere jussus  
 9 cum Nymphis solitos lusus exercet aquarum.  
 10 Tunc forte innantes volvebat gurgite cervos.  
 11 Venabatur enim. Quassaverat ergo Tridentem,  
 12 Tritones contos ; torvaeque armenta Dianae  
 13 (visa irata parum) navi imposuere subacta.  
 14 Observare Deum placuit : quo lumine, et ore !  
 15 Torvus erat, torvae Nymphae, torvique ministri.  
 16 Olli grande caput signant rorantia tauri  
 17 cornua. Caeruleos oculos infecerat imber.  
 18 Luxuriant herbae per colla tumentia nodis.  
 19 Vertice stant Cannae : verbenaque consita juncis  
 20 tempora complexa est, rivus de naribus exit.  
 21 Barba madet, ripasque impexo flumine verrit.  
 22 Protinus exclamo : "Quid enim jam denique restat ?  
 23 Ut video, torvi terris dominantur, et astris,  
 24 et pelago. Talem si patrius exhibet Ister ;  
 25 qua facie Neptunus erit ! Qua Juppiter altus !  
 26 Namque imum curare, nefas, qui praeter atroces.  
 27 Ac ferrugineos orbes, quibus utitur, Orcum,  
 28 seque videns, nimium nostris abludit ab oris.  
 29 Flammea per patulos stagnant incendia rictus.  
 30 Danubii natura trucis discrimine magno  
 31 distat. In hirsuto nant quaedam gaudia vultu,  
 32 quae plebs nulla capit ; nec nauta domesticus unquam  
 33 advertisse potest : solis noscenda poetis.  
 34 Digna Deo facies, lentisque imitata colorem

35 muscoso squalore viret. Delectat et horror.  
36 Ecce, iterum pleno totum se condidit alveo.  
37 At non nos Istro totum similesque, paresque ?  
38 Ille manet semper torvus. Nostrum decus omne  
39 absorbet Letum : nulla remanente figura.  
40 Ille, licet nequeat cursum cohibere, fluatque  
41 aequor in Euxinum, et ponto moriatur eodem :  
42 nempe reviviscit ; simul ac cunabula pulsat  
43 Thethyos ; atque novos large reparatur in ortus,  
44 nostrae sandapilae quando vertuntur in usus  
45 cunarum ! Ille redit : nos autem quando redimus !  
46 Cum semel extincti Lethaeum intravimus amnem,  
47 haut aliis rursus scatebris exire licebit.  
48 Currite mortales fluidi. Dilabimur omnes.  
49 In mare sicut aquae. Belli, torvique sodales,  
50 incompti, comptique, aliquidque nihilque nitentes,  
51 deformes, pulchrique, et quovis nomine noti,  
52 insontesque joci, Satyri Satyraeque, valete."